

Linneana
LINNEANA Q1291
K. C. Add
830ab
1825

D. D.

EXAMEN

CLASSIS DIOECIAE

CUJUS PARTEM PRIOREM

VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND.
HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET.
CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR.
BEROL. ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS.
HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARL M. AMSTELD. BONNENS.
OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TURICENS. IENENS. LINN.
LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET
PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG.
WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN.
MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP.
MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET
INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCAN-
DINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

CHR. SÖDERBERG

VERMELANDUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE XI MAJI MDCCCXXV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

EXCUDERANT PALMELAD ET C.

EXAMEN CLASSIS DIOECIÆ

Non æque facile examinantur et determinantur plantæ dioicæ, ac quidem omnes monoicæ. In illis enim sexus sunt separati in diversis plantis, in his vero semper in eadem planta.

Dum sexum aliquem solitarium invenimus, necesse semper est, ut alterum sexum quæramus et inveniamus, antequam classem ejus determinare possumus. In planta Monoica facile detegitur alter sexus, cum inveniri debeat in eadem planta, frutice vel arbore, supra communem radicem. Difficilius vero quandoque detegitur in Dioicis, cum individua mascula et feminea longe, immo longissime remota esse possint. Sedulo tamen quærendus est alter sexus.

Dum solus flos masculus nobis innotuit, Classis quidem determinari potest, sed nec Ordo, nec Genus sæpe nequidem conjectura consequi possunt, nisi expertus Botanicus ex aliis sibi notis characteribus de genere certus esse potest.

Si quis invenit utrumque sexum diclinum plantæ Monoicæ vel Dioicæ, certus tamen ideo esse non potest de Classe; existere enim potest adhuc ejusdem speciei flos hermaphroditus, sic ut planta, quam monoicam vel dioicam crederet, vere sit polygama. Et si invenit florem hermaphroditum alicujus plantæ, eamque refert ad

Clas-

Classem secundum numerum staminum, decipi valde potest; existere enim potest adhuc ejusdem speciei planta feminea vel mascula, quæ itaque polygamiam indicat. Sic nunquam certus esse quis erit, de vera classe, ante quam omnia individua ejusdem speciei in toto terrarum orbe examinare licuerit. Dubium itaque inevitabile semper creabunt Clases diclinæ, quare merito, ut confundentes, ut superflue, ut non necessariæ, obrogandas et excludendas censemus et proponimus.

PANDANUS explicat intra spatham receptaculum maris ramosissimum (spadix dictum), cum filamentis numerosis absque calyce et corolla; et similiter in receptaculo globoso, sine calyce corollaque, feminea germina numerosa. Optime referri ergo debet ad *Polyandriam, Polygyniam*.

BROSIMUM in diversis arboribus profert sexus diversos, in receptaculo globoso, squamoso, sine corolla. In floribus masculis filamenta sunt solitaria, et simul superne germen cum stylo unico abortiens. In femineis stylus simplex occurrit. Referenda erit ad *Monandriam, Monogyniam*.

ASCARINÆ receptaculum filiforme, squamosum, sine corolla; intra squamas diversarum stirpium sita sunt filamenta solitaria et stylus solitarius, sic ut planta commode locum inveniat in *Monandria, Monogynia*.

PHÆLYPÆA sine calyce corollam habet, intra quam, in diversis individuis includitur stamen unicum et stylus solitarius. Flores ergo sunt *Monandri, Monogyni*.

DAHLIA intra petalum Maris filamentum unicum et intra squamam Feminæ stylus solitarius. Sisti debet in *Monandria, Monogynia*.

MONIMIÆ florescentia nuda et simplissima est, sine calyce et corolla. Receptaculum maris dicitur quadrifidum, staminibus obsitum, et fæminæ pistilla quinque. Pertinet itaque ad *Polyandriam, Pentagyniam*.

DIDYMELES etiam florescentia simplicissima sese distinguit, sine calyce, sine corolla, et tantum squama sexus separat. Anthera sessilis est et stigma bilobum. Locus ejus erit in *Monandria, Monogynia*.

PHUGAROSTRIS flores nudi, dioici, filamentis filiformi et germinibus duobus sunt. Collocanda erit in *Monandria, Digynia*.

VALISNERIA singularis et maxime admirabilis est planta aquatica, dioica, in qua mas sessilis invenitur prope radicem, immersus, et intra corollam monopetalam fovet in receptaculo communi filamenta duo, quæ dum rumpunt, pollen dimittunt, ad superficiem aquæ delatum natat et stigmata fecundat. Feminæ pedunculus spiralis supra aquam stigma elevat, ut fecundetur. *Diandria, Monogynia* locus ejus in systemate sexuali erit.

CECROPIÆ spatha plura receptacula continet fasciculata, imbricata squamis, intra quas filamenta duo in floribus masculis. In floribus femineis stigmata sunt simplicia et præterea loco filamentorum, corpuscula duo, calycis incisuris insidentia, caduca. Ad *Diandriam, Monogyniam* ergo referri potest et debet.

SALIX maxime variat numero staminum, floribus dioicis et hermaphroditis, monadelphis et syngenesitis, polyandris, triandris, pentandris, et variantibus in eodem individuo; generaliter stamina sunt tantum duo, et stylus unicus, in racemis intra squamam. Sic erit hoc genus *Diandricæ*, *Monogynicæ* incola. Secundum Linnæi observationem *Salix hermaphrodita* sola sibi nota floribus hermaphroditis instruitur diandris. Vidit vero et examinavit Celeb. Præses in quibusdam aliis speciebus stamina plura, et in aliis flores hermaphroditos. Singulare tamen illud est phænomenon, quod ante septuaginta abhinc annos *Salix hermaphrodita* prope Upsaliam inventa et lecta fuit, cujus exemplar in Herbario Upsaliensi aservatur, deinde semper femineos flores produxerit; sic ut hæc rarissima species videatur nihil aliud esse, quam *Salix pentandra*, cui contigit olim flores hermaphroditos producere. *Salicem capræam* androgynam et *fragilem* polyandram invenit Præses.

CERATIOLA, valde simplex et nuda est ejus florentia absque corolla et calyce, tamen dioica, staminibus duobus et pistillo unico, ideoque relata ad *Diandriam*, *Monogyniam*.

BORYA, dioica habita, sine corolla, intra calycem tetraphyllum habet in floribus masculis stamina duo vel tria, et in femineis stylum. In *Diandria*, *Monogynia* locetur.

OSYRIS intra perianthium monophyllum, sine corolla, gerit in masculis floribus filamenta tria, et femina intra simile perianthium stylum unicum. Poni itaque potest in *Triandria*, *Monogynia*.

EMPETRUM in herba mascula habet perianthium et petala cum filamentis tribus, et in feminea absque corolla et stylo stigmata novem. Refertur debet ad *Triandriam*, *Polygyniam*. Confitetur LINNÉ, se olim vidisse florem hermaphroditum, quem postea non vidit. Eo casu debuisset referri ad *Polygamiam*.

EXCOECARIA, arbor dioica, sine corolla, videtur potius esse polyandra, cum mares proveniant in amento cylindrico, floribus tecto. Filamenta tamen indicantur modo tria, et styli tres, sic ut ad *Triandriam*, *Trigyniam* abire debeat.

CATURUS flores gerit incompletos, masculos sine calyce, femineos sine corolla. Filamenta tria numerantur, et styli tres, ut referri possit ad *Triandriam*, *Trigyniam*. Etiam hic flores masculos, licet obscuros, intra femineos, se observasse dicit LINNÉ.

MABA dioica et triandra describitur cum filamentis tribus et drupa solitaria, valde imperfecte. Forsan pertinet ad *Triandriam*, *Monogyniam*. Dum stylus non indicatur, incertum valde esse potest, an sit dioica, vel polygama.

HELVINGIA, rarus in Japonia frutex ad *Triandriam* sine dubio pertinet, *Osyridi* proximus; sed cum flores feminei huc usque observati non sint, incertum manet, ad quem ordinem pertinet, et si sit vere vel *dioica* vel *polygama*.

STILAGO sine corolla intra calycem habet in flore masculino filamenta duo seu tria, et in flore femineo stigmata

mata duo. Forsan rectius refertur ad *Diandriam*, *Digy-
niam*, quam ad *Triandriam*.

WILDENOWIA vere est *Triandrum*, *Dioicum* et *Mo-
nogynum* gramen, cum calyce, corolla et nectario.

RESTIO proxime accedit ad *Wildenowiam*, absque ta-
men corolla, cum staminibus tribus et stylo unico, vel
duobus, in floribus spicatis, masculis et femineis in di-
stinctis individuis, sic ut *Triandriam*, *Monogyniam* ingredi
debeat.

ELEGIA sine corolla colligit flores intra calycinas
glumas, cum staminibus tribus et totidem stylis. *Restioni*
et *Wildenowia* proximum genus collocatur in *Triandria*,
Trigynia.

MONTINIA videtur quidem esse planta dioica; cum
dentur flores masculi absque femina; in floribus vero fe-
mineis et fructiferis cum adsint filamenta castrata, nihil
impedit, quo minus genus referatur ad *Tetrandriam*, *Mo-
nogyniam*. Rarius flores masculi sunt pentandri.

PTELEÆ partes fructificationis multum variare so-
lent, inprimis staminibus 4, 5, 6 usque 7. Flores ta-
men semper sunt completi calyce et corolla, atque in
floribus masculis stylus cum stigmatibus obsoletis, et in
femineis filamenta antheris sterilibus, sic ut facillime ad
Tetrandriam, *Monogyniam* amandari possit, idque eo ma-
gis, quod *Moenchius* in floribus femineis antheras inter-
dum invenit polliniferas, et ad generandum idoneas.

VISCUM singularem florescentiam monstrat; in floribus masculis antheræ quatuor sessiles sunt in singula lacinia, et in floribus femineis stigma absque stylo. Merito refertur ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*.

TROPHIS referri facile potest ad *Tetrandriam*, *Monogyniam* ob filamenta quatuor in floribus masculis, et stylum unicum in femineis.

BATIS itidem ob marium filamenta quatuor et feminarum stigma bilobum ad *Tetrandriam*, *Monogyniam* ablegari oportet.

BRUCEA flores gerit masculos distinctos, femineos vero hermaphroditos, licet filamenta sint castrata. Facile refertur ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*.

ANTHOSPERMUM semper dioicum invenit illustr. Præses, cum staminibus quatuor et stylo gemino, ut optime relatum fiat genus ad *Tetrandriam*, *Digyniam*.

SCHÆFFERIA ob filamenta sua quatuor, et stylos duos *Tetrandriæ* classem et *Digyniæ* ordinem ingrediatur.

HIPPOPHÆ reduci debet, ob filamenta quatuor et stylum simplicem, ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*, idque eo magis, quod **VIBORG** inter flores masculos interdum hermaphroditos observaverit.

MYRICA, cujus summam cum *Pistacia* affinitatem testatur **SCHREBER**, ad *Tetrandriam*, *Digyniam* pertinet, licet in-

interdum variet staminibus sex in nonnullis speciebus. *Myricam segregatam polygamam* dicit WILDENOW.

NAGEIA, Myricæ proxima ab illa parum differt, nisi calyce tetraphyllo, adeoque eandem classem ingredi debet.

KOELERA variat staminibus 3, 4 et 5, et parum nisi calyce et fructu a duobus antecedentibus generibus differre videtur, adeoque Classe illis conjungi debet.

BROUSSONETIA a *Moris* dilacerata fuit, utut arbor dioica et monogyna, an vero jure, cum *Mori* species variant floribus monoicis et polygamis. Omni tamen casu cum *Mori* genere collocari debet in *Tetrandria*, si non cum illo, ut antea, conjuncta.

CAVANILLA, licet dioica, jure meritoque ad *Tetrandriæ* classem relata fuit a Cel. Præsidente.

MELICYTHIS nectario gaudet, e squamis quinque constante, latere interiori staminiferis absque filamentis; forsan igitur Monadelphæ. Ob antheras quinque et stylum unicum reduci debet ad *Pentandriam*, *Monogyniam*.

VILLARIA profert et flores hermaphroditos, et in distinctis plantis femineos. Invento itaque flore hermaphrodito, nil obstat, quo minus genus referatur ad *Pentandriam*, *Monogyniam*.

CANARIUM, arbor bene distinguenda a *Canarina*, quæ Campanulæ species hexandra est, sine multa difficultate *Pentandris*, *Monogynis* adnumerari potest.

Linneana
QK91
.C830ab
pt. 2

D. D.
E X A M E N
C L A S S I S D I O E C I A E

CUJUS PARTEM POSTERIOREM
VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.

P R Æ S I D E

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND.
HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET.
CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR.
BEROL. ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS.
HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARL M. AMSTELD. BONNENS.
OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS TURICENS. IENZENS. LINN.
LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET
PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG.
WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN.
MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP.
MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET
INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCAN-
DINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

FRIDERICUS U. KJELLENBERG

AD OFFICINAM ANCHORARIAM SÖDERFORS. MEDICUS,
OSTROGOTHUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE XXV MAJI MDCCCXXV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
EXCUDEBANT PALMELAD ET C.

ZANTHOXYLON sæpius quidem dioicum observatur; tamen interdum floribus hermaphroditis instructum invenitur. Partes ejus fructificationis valde variare solent a 2 usque ad 5, sic ut non facile sit locum ejus in Systemate artificiali determinare. Plurimi tamen genus ad *Pentandriam*, *Digyniam* relatum voluerunt; forsitan rectius ad *Pentagyniam* pertinet.

PICRAMNIE flores variant partium numero ternario et quinario, sic ut locus generis in Systemate non facile determinetur, licet ut dioicum ad *Pentandriam*, *Digyniam* relatum fuerit, et ulterius examinari debeat.

IREFINE habitu et facie cum *Illecebro* adeo conveniens videtur, ut ab illo vix possit distingvi, licet hæc dioica partibus fructificationis suis sit dissimilis. Ad *Pentandriam* tamen referri potest.

CANNABIS ob stamina quinque et stylos binos in *Pentandria*, *Digynia* collocari et potest et debet.

HUMULUS cultus sæpissime in lupuletis dioicus occurrit, absque maribus, ut poxiis habitis. Accidit tamen interdum, ut caules flores masculos proferant, quod aliquoties Cel. Præses observavit. Ad *Pentandriam*, *Digyniam* optime refertur.

ZANONIA ad *Pentandriam*, *Trigyniam* utique pertinet, floribus suis regularibus pentandris et trigynis.

FEUILLEA ad *Pentagyniam* in classe *Pentandriae* referenda erit, ob flores suos completos pentandros et pentagynos in distinctis plantis.

B.

CLUTIÆ species ut *Gynandræ* potius considerari possunt; dantur quoque et *decandræ* et *androgynæ*. *Pentandriæ*, *Digyniæ* inseri debet. Ad *Dioeciæ*, *Gynandriæ* classem retulit **WILLDENOVIVS**.

PISTACIÆ flores cum valde sint regulares staminibus quinque, et stylis tribus; facile erit, ejus in *Pentandria* et *Trigynia* invenire locum.

ASTRONIVM æque facile collocatur in *Pentandria*, *Trigynia* ob partium floris numerum regularem.

SPINACIA in hortis culta varie ludit et feminibus suis difformibus et ipsa florescentia. Inseri debet *Pentandriæ*, *Tetragyniæ*.

ACNIDA in *Pentandria*, *Pentagynia* locum suum inveniet, ob numerum floris quinarium.

ANTIDESMA a **SCHREBERO** ad *Dioeciam* relata fuit, ob stamina floris masculi quinque. Referrî itaque potest ad *Pentandriam* et licet numerus stylium variet a 3 ad 5, *Pentagyniæ* forsan ordinem ingredi debet.

FLÜGGÆA ad *Pentandriam* et *Monogyniam* pertinet, si revera cum *Phyllanthi* genere, multum variante, non possit conjungi. In floribus masculis pistilli rudimentum observatur.

SECURINEGÆ genus est obscurum, nec satis illustratum. Videtur ad *Pentandriam* posse referri.

SAVIA, uti plura **WILLDENOVII** genera nova, minus perfecte descripta et cognita est, sic ut nihil omnino et absolute certi determinari possit. Ad *Croton* re-

tulit SWARTZ, quod quidem prolixum genus non parum variare solet.

TAMNUS facili negotio ad *Hexandriam*, *Monogyniam* reducitur, uti et

SMILAX atque RAJANIA et DIOSCOREA ad *Hexandriam*, *Trigyniam*, quatuor genera in multis similia et volubilia.

BRAUNIA, cum in flore femineo etiam stamina adsint sena et styli tres, manifestum cuique erit, quod *Hexandra*, *Trigyna* sit.

FERREOLA ad *Hexandriam*, *Monogyniam* relata erit.

MARGARITARIA constanter stamina octo profert, dum styli variant quatuor et quinque. Referri debet ad *Octandriam*, *Tetragyniam*.

POPULUS flores gerit amentaceos, in diversis sæpissime individuis, cum filamentis octo, et stylo brevissimo. In genere arbores sunt dioicæ. Observavit tamen aliquoties Cel. Præses in *Populo alba* Horti Academiæ Upsaliensis, flores et masculos et femineos, hoc est monoicos, in diversis ramis. Singulare est quod Antecessores ejus hoc nunquam observaverint et quod non nisi ter vel quater D:no Præsidi idem contigerit observare sub suis in Horto Academico publicis lectionibus. Genus ad *Octandriam*, *Monogyniam* referri debet.

RHODIOLA a LINNÆO proprium genus constitutum fuit, cum plantam in Lapponia Sveciæ semper dioicam invenerit. Femina in Hortum Botanicum a RUDBECKIO fuit introducta, ibique quotannis floruit, sterilis. Postea

vero, post dimidium sæculum, dum alter sexus e Lapponia fuit introductus, ipsa hæc femina non solum fertilis femina maturavit, sed etiam semper hermaphrodita evasit, et aperte ostendit, se et posse, et necessario debere cum *Sedi* genere conjungi, in *Decandria*. Sic ludit interdum Natura.

COMMIPHORA ad Dioeciam retulit **WILLDENOVIVS**, licet flores feminei sint ignoti; est itaque adhuc genus valde obscurum, et respectu Classis incertum. Stamina si constanter sint octo, *Octandriam* ingredi debet.

HERMESIA ad *Octandriam*, *Digyniam* referenda.

MERCURIALIS numero staminum variat a 9 ad 13; et species dantur etiam Monoicæ. Ad *Enneandriam* relatum fuit, forsan potius ad *Dodecandriam* pertinet.

HYDROCHARIS in flore masculino germinis rudimentum gerit, sic ut ad *Enneandriam*, *Hexagyniam* referri possit.

GYMNOCLADUS et dioicus et hermaphroditus fuit examinatus, et ad *Decandriam*, *Digyniam* facile refertur.

SCHINUS rudimentum pistilli in floribus masculis gerit, et ob flores regulares, completos, cum filamentis decem atque stigmatibus sessilibus tribus ad *Decandriam*, *Trigyniam* amandari debet.

CARICA cum filamentis decem et stigmatibus quinque sessilibus, pertinebit sine dubio ad *Decandriam*, *Pentagyniam*.

KIGGELARIA dioica, decandra et pentagyna facile ad suam classem in systemate sexuali reformato relata erit.

CORIARIA non raro profert flores hermaphroditos, tam ab aliis, quam a Cel. Præside observatos, sic ut commode referri possit ad *Dodecandriam*, *Pentagyniam*.

TOXICODENDRUM optime inseritur Classi *Dodecandriæ* ob stamina 10 usque viginti, et *Monogyniæ* ob stylum unicum.

EUCLEÆ filamenta sunt 13 vel ultra et styli sæpius duo, rarius tres. Occurrunt non raro flores hermaphroditi, sic ut nullum superfit dubium, quin optime collocetur in *Dodecandria*, *Digynia*.

DATISCA, antheris subsessilibus circiter quindecim instructa et stylis tribus, *Dodecandriæ* classi et *Trigyniæ* adjudicari oportet.

STRATIOTES staminibus nunc undecim, nunc decem, nunc duodecim instruitur, cum stylis 6. Locus ejus igitur non facile determinatur; forsan in *Dodecandria*, *Hexagynia* collocari potest. Dioicos flores viderunt BERGEN, ZINN, FABRICIUS; hermaphroditos LINNÆUS, et SCHREBER in flore hermaphrodito antheras steriles observavit. MURRAY in *Polyandria* genus collocavit.

MENISPERMUM varie a variis Botanicis describitur. Quidam stamina sedecim in floribus masculis et octo in femineis indicant. Plurimi tamen tantum sex, cum pistillis tribus commemorant. Videtur itaque, cum flores adsint etiam hermaphroditi, genus posse reduci ad *Hexandriam*, *Trigyniam*.

RHINIUM in flore masculo germen habet abortiens, et in femineo filamenta plurima, sterilia, calyci inserta; ergo *Icosandra*, *Monogyna* planta, etiam *Tigarea* dicta.

FLACOURTIÆ flos masculus interdum hermaphroditus evadit. Cum filamenta numerosa a 50 ad 100, calyci inserta sint, et stigma absque stylo unicum, ad *Icosandriam*, *Monogyniam* relata erit.

HEDYCARYÆ antheræ sessiles, circiter 50, per totum calycis fundum distributæ inveniuntur, *Icosandriam* significantes, et stigmata absque stylis numerosa *Polygyniam*. Ad *Dioeciam*, *Polyandriam* retulit *Murray*.

ROTTLERÆ stamina numerantur 30 usque 40, et styli tres. Introducatur ergo in *Icosandria*, *Trigynia*.

GELONIUM in diversis speciebus stamina pauciora, vel plura, a 12 ad 35, cum stigmatibus tribus sessilibus in flore femineo. Et dum calyx adsit absque corolla, ad *Icosandriam* et *Trigyniam* videtur genus referendum.

EMBRYOPTERIS intra florem completum habet stamina viginti et stigma sessile. Ut *Polyandra* ideo considerata fuit, an vere, ulterius inquiri meretur.

XYLOSMEÆ stamina 20 usque 50 numerantur; ad *Polyandriam* itaque refertur, et ad *Monogyniam*.

BERULÆ stamina describuntur 24 usque 30 cum germinibus quatuor sterilibus et stylo intra flores masculos, et intra florem femineum germina quatuor cum totidem stylis. Quare referri potest ad *Polyandriam*, *Tetragyniam* vel potius forsan *Monogyniam*.

TREWIA a *WILLDENOVIO* ad *Polyandriam* dioicam relata fuit; ad *Monogyniam* utique pertinet, genus hoc ulterius illustrandum.

HISINGERA stamina habet intra calycem a 15 ad 25 et stylos duos, quare ad *Polyandriam*, *Digyniam* referri potest.

CLIFFORTIA, corolla destituta, intra calycem triphyllum flores dioicos producit, masculos in distincto individuo cum staminibus circiter triginta, germi insidentibus, et femineos cum stylis duobus. Facile in *Polyandria*, *Digynia* genus quærendum.

HAMADRYADIS intra flores completos masculos numerantur stamina 50, et intra femineos germina numerosa. Referatur ergo ad *Polyandriam*, *Polygyniam*.

NAPÆAM retulit **MURRAY** ad Dioeciam, cum unica species sit vere dioica, dum altera sit hermaphrodita. Recentiores autem Botanici observarunt, quod sit planta monadelphæ, cum *Sida* genere conjungenda, sic ut ipsum *Napææ* genus sit delendum.

DOMBEYA, **LAMARCKIO** dicta, amentacea, squamosa floribus nudis a **SCHREBERO** ad Dioeciam Monadelphiam relata, singularis omnino est structuræ, forsan ad *Monadelphicæ* classem referenda.

IUNIPERUS, frutex dioicus, antheras tres gerit connatas et stylos tres, indicantes *Monadelphiam*, *Trigyniam*.

TAXUS floribus nudis filamenta habet numerosa inferne connata, et stigma sessile. Ingredi debet *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

EPHEDRA intra perianthium sine corolla stamina septem, coalita profert in mare, et in femina stylos duos, sic ut debeat referri ad *Monadelphiam*, *Digyniam*.

ADELIA staminibus multis connatis instructa et stylis feminæ tribus referatur necesse est ad *Monadelphiam*, *Trigyniam*.

CISSAMPELOS ob filamenta quatuor coalita vere ad *Monadelphiam* pertinet et ob stylos tres ad *Trigyniam*.

ALCHORNEA pari modo antheris octo connatis instructa et stylis duobus, pertinebit ad *Monadelphiam*, *Digyniam*.

DRYANDRA quoque ob stamina novem coalita ad *Monadelphiam*, *Enneandriam* erit relata.

MYRISTICAM a diversis Botanicis ad diversas Classes relatam invenimus; ad Dioeciam, Syngenesiam a **SCHREBERO**; ad Dioeciam, Monadelphiam a **WILLDENOVIO**, licet potius referri debuisset ad Dioeciam, Syngenesiam, cum antheræ sint connatæ et filamentum unicum; ad *Monandriam* a D:no Præsidente.

ARAUCARIA arbor amentacea, et loco calycis instructa squamis antheriferis, antherisque 10 usque 12 in squama connatis, ad Monadelphas plantas nunquam numerari potest, sed potius ad *Syngenesiam*, si revera antheræ ita sunt comparatæ.

HORSFJELDIA. Hujus videtur esse eadem ratio, ac *Myristica*. Filamentum dicitur commune antheris connatis, ut arbor verius sit Syngenesista, quam Monadelphia, adeoque ad *Monandriam* ableganda, et *Monogyniam*.

BATSCHIA; arbor dioica, filamenta gerit sex, quorum tria sterilia, omnia tamen basi connata, et femina germina tria, sic ut facile in *Monadelphia*, *Trigynia* collocari possit.

LOUREIRÆ stamina 8 usque 13 basi describuntur coherentia; genus itaque ad *Monadelphicæ* classem erit ablegandum.

NEPENTHES in flore masculino non nisi unicum filamentum profert, cujus supremam partem antheræ circiter 15, in capitulum connatæ, cingunt, simili ratione, ut in *Myristica* et aliis. Relatum itaque fuit genus, nec sine jure, a **SCHREBERO** ad Dioeciam, Syngenesiam, minus recte a **WILLDENOVIO** ad Dioeciam, Monadelphiam, cum non filamenta, sed antheræ sint connatæ. Melius forsan relatum erit Genus hocce singulare ad *Monandriam*, *Monogyniam*.

XANTHES florescentia singularis omnino est, in eo, quod in flore masculino filamentum unicum sit columnare, cui insident antheræ 5 vel 6, connatæ in capitulum: et quod in flore femineo, potius hermaphrodito dicendo, filamentum nullum adsit, sed tamen antheræ quinque, prismaticæ, steriles, simul cum stigmatibus quinque vel sex. Ad *Monandriam*, *Pentagyniam* facile potest referri.

RUSCUS variat floribus dioicis et hermaphroditis in diversis speciebus, frutex singularis et foliiflorus. Nec minus singulare est, quod nectarium filamentis vices gerat, dum antheræ quinque vel tres, apici nectarii insidentes, et basi coalitæ describuntur. Dumque stylus sit unicus, videtur genus hocce posse ad *Monandriam*, *Monogyniam* referri cum prioribus duobus generibus.

AILANTHUS gerit et flores masculos intra calycem et corollam cum filamentis decem, et femineos cum stylis tribus vel quinque, atque hermaphroditos, sic ut po-

tius sit Polygama, quam Dioica. Cum vero filamenta in floribus hermaphroditis indicentur pauciora, duo tantum vel tria, ulterius inquirendum erit, ad quam potissimum classem potius numerari debeat.

TRIPLARIS. Occurrunt species etiam hermaphroditæ. Sique stamina sint 12, ad *Dodecandriam* debet referri, et ad *Trigyniam*, atque debuisset a LINNÆO et SCHREBERO potius ad Polygamiam, quam ad Dioeciam referri, licet in femineis floribus filamenta sint castrata.

IN SACRAM REGIAM MAJESTATEM

MAGNÆ FIDEI VIRO, REG. ORD. DE WASA COMMENDATORI

et

DE STELLA POLARI EQUITI,

REG. ACADEMIÆ SCIENTIARUM MEMBRO etc. etc.

D:no P. A. TAMM,

PATRONO SUMMO

pia et devota mente sacrum

v. d.

F. U. KJELLENBERG.

Kongl. Hof-Predikanten, Prosten och Kyrkoherden,

Högårevördige och Höglärde

Mag. Herr J. O. SCHARFF,

samt

Prostinnan, Högådla

Fru CHRISTINA SCHARFF,

född KINMANSSON;

och

Kongl. Hof-Predikanten, Prosten och Kyrkoherden,

Högårevördige och Höglärde

Mag. Herr J. H. EGNELL,

samt

Prostinnan, Högådla

Fru FREDRICA EGNELL,

född KINMANSSON

med djup vördnad och innerlig tacksamhet

af

F. U. Kjellenberg.